



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

III. Vt quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

*Innocentius uniuersis episcopis in Toletana Synodo constitutis,  
dulcissimis fratribus, in Domino salutem.*

## I.

**S**ÆPE me & nimium cum teneret cura solicitum, su-  
per dissensionis schismate ecclesiarum, quod malum  
per Hispanias latius in dies separationis gradu incedere  
fama proloquitur, necessarium tempus emersit, quo non  
possit emendatio tanta differri, & deberet congrua me-  
dicina prouideri. Nam de ordinationibus, quas prauæ  
consuetudinis vitio, Hispanienses episcopos celebrare  
cognoscimus, fuerat aliquid secundum maiorum tradi-  
tionem statuendum, nisi perpendermus, ne perturba-  
tiones quamplurimas ecclesiis moueremus. Quorum fa-  
ctum ita reprehendimus, vt propter numerum corri-  
gendorum, ea quæ quoquo modo facta sunt, non in du-  
biu[m] vocemus, sed Dei potius dimittamus iudicio.

## II.

Dif. 51. A-  
liquantos  
ex.

Quantos enim ex eis, qui post acceptam baptismi gra-  
tiam, in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi  
pertinaciam suscepérunt, accitos ad sacerdotium esse  
comperimus; e quorum numero Rufinus & Gregorius  
perhibentur? Quantos ex militia, qui cum potestatibus  
obedierunt, seuera necessario præcepta sunt executi?  
Quantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ  
sibi sunt imperata, fecerunt? Quantos, qui voluptates &  
editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacer-  
dotii peruenisse: quorum omnium neminem, ne ad so-  
ciatem quidem ordinis clericorum, oportuerat perue-  
nisse? Quæ si singula discutienda mandemus, non modi-  
cos motus aut scandalis Hispaniensibus prouinciis, quibus  
mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Id-  
circo remittenda potius hæc putamus. Sed ne deinceps  
similia committantur, dilectionis vestræ maturitas proui-  
dere debet, vt tantæ usurpationi, saltem nunc, finis ne-  
cessarius imponatur, eo videlicet constituto, vt quicun-  
que tales ordinati fuerint, cum ordinationibus suis de-  
ponantur.

## III.

Posthæc, si quis aduersus formas Canonum, vel ad ec-

clesiaisticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentauerit, vna cum ordinatoribus suis, ipso in quo inuenient fuerint ordine & honore priuentur. Et quamuis dilectioni vestræ, fratres carissimi, regulæ Nicænæ sint cognitæ, secundum quas ordines esse faciendo per sententiam decernitis: tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est prouisa, inserendam putaui, ut secundum eam ordinationes in posterum celebrandas esse sciamus, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquantur. Ac primum, quæ sunt prohibita, digerantur.

## IV.

Ne quispiam, qui post baptismum militauerit, ad ordinem debitum clericatus admitti, neque qui causas post acceptum baptismum egerint, aut qui post acceptā Dei gratiam administrauerint, neque de curialibus aliquem ad ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel sacerdotium (quod dicitur) sustinuerint, & editiones publicas celebrauerint. Nam & hoc de curialibus est cauendum, ne iidem, qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, poscantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita, oportet modis omnibus custodiri.

## V.

Quales vero eligendi sunt in ordine clericorum, eius-  
dens forma declarat, id est, qui ab ineunte aetate baptiza-  
ti fuerint, & lectorum officio sociati, vel si maiores sunt,  
cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasti-  
cis ordinibus mancipauerint. Et si vxores habuerint, quæ-  
rendum, si vxorem virginem habuerint: quia scriptum  
est in veteri testamento: *Vxorem virginem accipiat sacerdos.* *Luit. 21.*  
Et alibi: *Sacerdotes mei semel nubant.* Neque qui duas uxores  
habuerit, quia Paulus apostolus ait: *Vnius uxoris virum.*

*Supra in  
Decr. Siri-  
cii ad Hu-  
merium  
Tarraco-  
nens. cap. 9.*

*1. Tim. 3.  
Tit. 1.*

## VI.

Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defen-  
sione proui erroris opponunt & asserunt, quod ante ba-  
ptismum omnia dimittuntur, non intelligentes huiusmo-  
di, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, non uxo-  
rum numerus aboletur. Nam si *a Deo*, vt scriptum est, *Pro. 19.*  
*præparatur viro uxor, & quod Dens iunxit, homo non separat,* *Matth. 19.*  
& ipsi auctores generis humani in origine a Deo bene-

*Concil. Tom. 4.*

G ij

*Supra in e-  
pist. Inno-  
centii ad  
Rufum &  
Eusebium  
&c. cap. 1.*